

Tom: LXXVI. Miscell.

~~G.H. 70.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

17-18.

SIGNAT. 61515CCCXIII.

MYSTERIUM OECONOMIÆ,
QUOD
EX

EPISTOLÆ AD CO-
LOSSENSES SCRIPTÆ
CAPITIS SECUNDI COMMATE
NONO,
PROPONET PUBLICE DISPU-
TANDUM

DANIEL HEINRICI, SS. THEO-
LOGIÆ DOCTOR ET PROFESSOR
PUBLICUS,

IN
ACADEMIA LIPSIENSI,
RESPONDENTE
CASPARO VVAGNERO, NEUSSA-
MISNICO:

AD DIEM XXVII. NOVEM-
BRIS.



Typis HENNINGI COLERI,

M. DC. XLV,



MYSTERIUM ECONOMIAE

QUOD

EX

EPISTOLAE AD CO-

LOSSENSIS SCRIPTAE

CAPITIS SECUNDI COMMATE

NONO

PROFANET PUBLICE DISPU-

TANDUM

DANIEL HEINRICI, SS. THEO.

LOGICAE DOCTOR ET PROFESSOR

PUBLICUS

IN

ACADEMIA LIPSIENSIS

RESPONDENTE

CASPARO VVAGNERO, NEUSSA-

MISNICO.

AD DIEM XXVII NOVEM-

BRIS



THE HEININGI COLLEGI

M. DC. XLV.





IN
DISPUTATIONEM
DE
MYSTERIO OECONOMIÆ
PAULINAM
PRÆFATIO.

Ioannem, Apostolum illum & Evangelistam, audivimus: sequitur Paulus divinus, cum ille quoque *mysterium œconomiae*, quod in præfatione disputationis antecedentis, ex Evangelii Ioannæ capitis primi commate decimo quarto desumptæ, piam Antiquitatem secutus appellavi, verbis signatissimis proposuerit. Ea autem extant epistolæ ad *Colossenses* datæ capitis secundi commate nono, & sunt hæc: *In ipso (Christo) habitat tota plenitudo deitatis personaliter.* Quæ, methodo hætenus à me observatâ, sub disputationis incudem revocabo. Ipse JESUS CHRISTUS ducat nos in cœlestis veritatis tramite, ut spiritualia spiritualibus conferentes, loquamur sermones, quos in verbo suo nos docet! AMEN!

POSITIO PRIMA.

Aphorismum præsentem Paulinum duæ exhauriunt partes: subjectum nempe, & prædicatum. Subjectum est *ὁ Χριστός*, quem Latini ad verbum pronunciant Christum, & à quo Christiani suum sortiuntur nomen.

Lib. 4. de
doct. Chri-
stiana c. 7.

§. 1. Ut sacrae literae, teste *Augustino*, habent, sed non ostentant eloquentiam; ita non vereor dicere, nihil ab eloquentiae magistris scriptum de conformandis epistolis, quod in epistola, quam *Paulus*, divinum illud eloquentiae flumen, e Roma per *Tychicum* & *Onesimum* ad *Colossenses* misit, non observetur. Quod tamen artificium Apostoli epistolico in praesentia nolo recensere, ne latius videar evagari. Tantum argumentum capitis secundi tribus verbis indicabo, utpote quod ad rem facit praesentem. Illud autem ad duas theses potest revocari. Prior dicit, in solo Christo juxta evangelicam doctrinam nos habere omnem salutis sufficientiam. Posterior autem est haec; Quicquid traditionum, caeremoniarum, philosophicarum speculationum extra Christum obtruditur in negotio salutis, id totum inane est & impostorium. De illa sermo est versibus prioribus septem, haec vero tractatur versu octavo, & caeteris, qui sequuntur ad finem usque capitis.

§. 2. Ac ut de posteriori ea, quae huc spectant, dicam, primum inanitatem caeremoniarum, traditionum, & philosophicarum speculationum Apostolus proponit; deinde eam uno atque altero argumento confirmat. Propositio commate octavo continetur, cum in eo adseratur, non opus esse inanibus philosophorum placitis, vel quorumvis hominum inventis, vel Judaeorum denique (ab ipso Deo quondam imperatis) caeremoniis. Quod vero *Paulus* suscepit demonstrandum contra *Pseudoapostolos*, duobus evincit argumentis. Unum desumitur a perfectione Christi, sive quoad personam aut officium ille consideretur. Alterius vices autem expleat inanitas & cessatio traditionum, caeremoniarum & speculationum aliarum humanarum: de quibus a versu undecimo ad finem usque capitis differitur.

§. 3. Sed redeo ad argumentum primum, quod a Christi perfectione est petiturum. Si ille consideretur quoad officium, ut de eo prius dicam, ita Apostolus videtur conclusisse; Christus efficit, ut nos per eum simul completi, hoc est, omnia habeamus in eo & in eius doctrina, quae sunt ad salutem nostram necessaria, imò est caput omnium non modò hominum, sed etiam angelorum. Ergò nihil debemus extra Christum quaerere, nec recurrere ad traditiones, caeremonias, & speculationes philosophicas. Ita argumentatur
com-

commate decimo. In versu autem antecedente, nono videlicet, qui nunc sub manibus versatur, à perfectione personæ Christi connectit argumentum hōc modō: In Christo, Salvatore & Doctore nostro, inhabitat perfecta Deitas cum omnibus attributis divinis. Itaque non opus est extra hunc alia aut documenta aut adjumenta quarere, inter quæ Pseudoapostoli traditiones, cæremonias legales, & speculationes philosophicas referebant.

§. 4. Hōc modō Apostolus mihi videtur verba connectere. Jam separatim ea pensabimus. Ubi priora sunt hæc: ὅτι ἐν αὐτῷ, nam in eo, subintellige, τῷ Χριστῷ, cujus expressa in versu antecedente facta est mentio. Ordinariè enim sæpissimèque relativa & demonstrativa pronomina respiciunt ad proximè præcedentia. Dico ordinariè & sæpissimè: nam quandoque series verborum divinorum postulat, ut relativa referant ea, quæ remotius distant, licet adsint propiora: ad quæ primò obtutu possunt referri: cujus observationis exempla alibi recensentur, nec opus est ea hīc repetere.

§. 5. Operæ pretium potius erit, si in vocem, ὅτι, inquisiverimus, quæ variè usurpatur, & sæpè quoque inservit mimesi, imò abundat. Usitatissima autem illius est significatio, ut sit particula vel causalis vel ἐκβαπτικῆ, denotans consequentem effectum, vel, ut cum aliis loquar, συλλογιστικῆ, hoc est, rationem conclusionis significans. Quo in significato posteriori hīc quoque occurrit: nam innuit rationem conclusionis, cūr Colossenses non patiantur à Christo se abduci, nimirum quia in eo inhabitat tota plenitudo Deitatis personaliter. Quomodo etiam usurpatur Johan. IIX. 44. & I. Johan. III. 14. Interpres Syrus istam voculam prorsus omisit, utpote qui legit: ܩܕܝܫܐ, in quo habitat &c. Et sanè alibi eam quoque abundare, negari non potest. Quamquam cum contextu magis conveniat, si modō prædictè voculam illam interpretemur. Non enim ubique Versio Syriaca tutò ac sine errore confutitur, nec per solam illam Græcus textus verè illustratur & rectè intelligitur.

§. 6. Christus ergò, ut series verborum, & præprimis pronomem relativum, ἐν αὐτῷ, nos docent, in præsentia pro subjecto subternitur. Christus autem quis sit, & cur sic dicatur, notum est, nec necessum, ut pluribus hīc explicetur. Unctum enim denotat,

& Salvator ita appellatur, quia unctus est Spiritu sancto sine men-
 sura & ultra consortes suos, hoc est, dona Spiritus sancti infinita &
 verè divina ei in tempore fuerunt collata, Psal. XLV. 8. Daniel. IX.
 24. Johan. III. 34. Actor. X. 38. Et quamvis *Christus*, quemad-
 modum *Athanasius* ait, intelligatur esse, quod constat ex utroque,
 scilicet, ex divina ungente, & humana natura uncta; relati-
 vum tamen, *ὡπῶ*, quod ad Christum est referendum, pro hu-
 mana tantum natura, divinæ personaliter unita, hinc supponitur.
 Quod, jamdudum est, cum idem *Athanasius* ante me edisseruerit.
 Sic enim scribit: *Ἐν χριστῷ ὁρίσθησι κατοικεῖ, τὸ πᾶν, ἐν τῇ σαρκὶ αὐ-*
τῆ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, hoc est, *in Christo enim,*
inquit, inhabitat, hoc est, in carne ejus omnis plenitudo deitatis corpo-
raliter, de humana natura suscepta ab unigenito Verbo. Quæ cum
 sint plana & alibi quoque à me annotata, nolo ulterius recensere.
 Tantum annoto, *Epiphanium* hæresi XXXIV. Marciorum scri-
 bere: nomen ΧΡΙΣΤΟΣ octo literas continere. Persuadentur equi-
 dem nonnulli, numerum literarum non respondere, nisi vel Græ-
 cum *χριστός* vel Latinum *Christus* expressum esse statuas, quorum
 illud *Dionysius Petavius*; hoc autem *Franciscus Francus* docuerunt.
 Sed res est facilis, si X Græcorum sit *διπλῶν συχέϊον* & respondeat
 □ Ebræorum, cujus vestigia in *Αχιτόφελ, νῶχ* & *πῶχα* hodieque
 invenimus. Verosimile igitur est, Marcios Græcorum X pro-
 duabus literis in ΧΡΙΣΤΟΣ reputasse. Quod sufficiat annotasse.
 §. 7. Unum adhuc superest; nempe nomen, *Christianus*, quod
 iis, qui doctrinam Christianam profitebantur, annò, à nato Chri-
 sto, trigésimo octavò, Antiochiæ primùm fuit impositum, Actor.
 XI. 26. quod postea repetitur, ibidem, cap. XXVI. 28. & I. Petr.
 IV. 15. 16. Christiani autem à Christo fuerunt appellati; quemad-
 modum *Tertullianus* optimè inculcavit. Si enim, scribit, odium in
 illum filium hominis predicabatur, qui secundum creatorem est, Evan-
 gelium autem nomen Christianorum, utiq; à Christo deductum, odio fu-
 turum contestatur, propter filium hominis, quod est Christus, eum fi-
 lium hominis in causa odii constituit, qui erat secundum creatorem, in
 quem odium predicabatur, lib. IV. adversus Marcionem. Cum quo
 alii etiam *Patres* consentiunt. Unum nunc produco *Augustinum*,
 cujus

cujus hæc sunt verba: *Unxisti me oleo tuo, quò tu unctus fuisti; ut à te Christo dicerer Christianus*, in Soliloquiis, cap. XIII.

§. 8. Quæ cùm piè meditarer, in memoriam mihi revocabam arithmologicam speculationem, quam *Hieronymus* inseruit commentario in caput IIX. Zachariæ, ut eum *Marianus Victorius* emendavit. Ibi namque numerum septem millium, quorum fit mentio I. Regum cap. XIX. 18. ad Christianorum nomen pertinere sibi habet persuasissimum. Verba sunt ista: *Et hoc mystico sermone monstratur, quod omnes, qui censentur vocabulo Christiano (quos & Dominus septem millia tempore persecutionis Hiezabel & fuga Eliæ reliquisse se dicit: qui non curvaverunt genua ante Baal, & in mensuram viri perfecti venerint, ex omnibus linguis & nationibus) apprehendent simbriam viri Judæi, id est, Domini Salvatoris, de quo & in Psalmis dicitur: Juda rex meus. Et: Judas, te laudabunt fratres tui. Et rursum: non deficiet princeps ex Juda, & dux de fœmoribus ejus, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium.* Nec non paucis lineolis interjectis: *Quòd autem numerum septem millium ad Christianorum nomen diximus pertinere: supputa Græcè ενταυς χιλιας, & χριστιανος, & eundem numerum summamq; reperies, id est, mille nongentos quadraginta unum.* In qua tamen supputatione lector benivolus observet, *Hieronymum* scribere ΧΕΙΑΙΟΤΣ xoli-cè, pro ΧΙΑΙΟΤΣ; alioqui summa non respondebit, sed quinque minus erunt in vocabulo priore. Inde etiam elucescit, cabalicum interpretandi genus, quod *גילטרין*, aut *Eliæ* verbò, *חשבון* & *חשבון* dicitur, inque literis vel textibus Scripturæ mathematicè quasi dimetiendis, & exinde abstrusis quibusdam mysteriis eliciendis occupatum est, in ore & calamo Ebræorum simul & Græcorum versari. Quamquam id de re ipsa volo intellectum, non de nomine, quod Græcos latuit. Ac hæc in transcurso de nomine, *Christianus*, quod *Gregorius Nazianzenus* appellat venerabile, oratione tricesima prima, habitâ in dictum illud Evangelii, *quum consummasset Jesus hos sermones*, Matth. cap. XIX. 1. & cæteris.

POSITIO SECUNDA.

Prædicatum autem quod concernit, duæ illius itidem constitui possunt partes. Una
com.

complectitur in habitationis modum, & hi-
ce describitur verbis: κατοικῆ σωματικῶς, hoc
est, *inhabitat personaliter.*

§. 1. Ut enim subjectum complectitur habitaculum, nempe
humanam JESU CHRISTI naturam; ita prædicatum cum habitandi
modum, tum ipsum habitatorem innuit. Modum in habitationis,
ut dixi, duo describunt verba, quorum unum est, κατοικῆ, & σω-
ματικῶς, alterum.

§. 2. Ac ut à verbo, κατοικῆ, sumam exordium, thema illius
est, κατοικέω, quod vertitur, *inhabito*, & usitatissimè de ejuscemodi
in habitatione locali usurpatur, quâ homines in civitatibus, ten-
toriiis, & aliis domiciliis terrenis inhabitant; quomodo accipitur
Luc. XIII. 4. Act. I. 19. 20. II. 5. 9. 14. IV. 16. VII. 2. 4. IX. 22. 32. 35.
XI. 29. XIII. 27. XVII. 26. XIX. 10. 17. XXII. 12. Ebr. XI. 9. Apos. I.
13. III. 10. VI. 10. II. 13. XI. 10. XII. 12. XIII. 8. 12. 14. XIV. 6. XVII.
2. 8. Quod domicilium hominum terrenum innuit quoque κα-
τοικία, Act. XVII. 26, & κατοικησις, Marc. V. 3. Deinde diaboli
etiam, quos & Spiritus malos vocamus, dicuntur κατοικῆν, *inhabi-
tare*, nempe, *in domo vacante, & scopis purgata atq; ornata*, Matth.
XII. 45. Luc. XI. 26. & apud Pergamenses, Apocal. II. 13. Unde & Ba-
bylon magna facta est habitatio (κατοικητήριον) demoniorum, Apocal.
XIX. 2. Tandem & Justitia dicitur κατοικῆν, hoc est, *habitare in
caelis novis & terra nova*, II. Petr. III. 13.

§. 3. Præterea Deo etiam verbum prædictum accommoda-
tur, sive essentialiter, aut personaliter ille accipiat. Sic Deus es-
sentialiter sumtus, dicitur κατοικῆν, *habitare in templo*, Matth.
XXIII. 21. Cui non contradicit Apostolus, cum ait, *Excelsis-
simus ille non in manu factis templis κατοικῆ*, hoc est, *habitare*, Act.
VII. 48. XVII. 24. Etenim *Matthæus* de habitatione gratiosa loqui-
tur, sed *Lucas* in Actis de locali, quarum illa Deo convenit, hæc
non item.

§. 4. Si verò Deus personaliter sumatur, & Deus Filius & Deus
Spiritus sanctus dicuntur κατοικῆν, hoc est, *inhabitare*. Et de Spi-
ritu sancto quidem hæc interpretantur verba: *An putatis, scri-
pturam inaniter dicere, ad invidiam ne fertur spiritus (Spiritus S.) qui
habita*

habitat in nobis? Imò majorem dat gratiam; quia dicit, Deus superbia resistit, demissis autem dat gratiam, id est, Spiritus ille sanctus, qui κατοικεῖ, habitat in nobis, non solum non impellit ad invidiam, quasi eam delectetur; sed potius delectatur modestiâ, ac proinde modestis majorem dat gratiam, hoc est, majora dona & beneficia, Jacob. IV. 5. 6.

§. 5. Nec desunt loca, ubi verbum præmemoratum, κατοικεῖν, de Deo Filio prædicatur. Ac tripliciter ille inhabitat, nempe localiter, spiritualiter & personaliter. De inhabitatione Christi locali sermo est, Matth. II. 23. IV. 13. Quòd verò idem Deus Filius, modo spirituali inhabitet in hominibus, Paulus indicat, quando asserit, κατοικεῖν, seu, *inhabitare Christum per fidem in cordibus*, Ephes. III. 17. Et de ejusmodi inhabitatione spirituali, quæ est inter Christum & fideles, quoque usurpatur κατοικητέου, Eph. II. 22. Superest inhabitatio personalis, quæ describitur Coloss. I. 19. & loco præsentis: qua de fusius non nihil edisseram. Atque hæc sunt loca, quibus in N. T. verbum, κατοικέω, occurrit.

§. 6. Ac proinde impræsentiarum verbum, κατοικέω, de habitatione personali usurpatur, imò indicat, unionem illam divinitatis cum carne permanentem & perpetuam esse. Unionem autem cum dico, intelligo non unionem ac communicationem, quam dicimus actum, sed unionem communionemque, quâ statum credimus designari, qui ab actu sic discernitur, quòd ille transeat, hic verò permaneat. Duæ namque naturæ, divina & humana, in ἑνωσίσει τινυδέτω (Scholastici ex *Thoma Aquinate* appellant personam compositam, non ratione partium, quasi persona verbi composita sit ex natura humana & divina, tanquam ex partibus; sed ratione numeri, quia jam subsistit in duabus naturis, quæ ante incarnationem subsistebat solummodò in divina) ita sunt unitæ, ut una natura non sit extra alteram, nec quoque, salvâ personæ unitate, esse possit. Et ut divina natura in humana perpetuò sic habitabit, ita & cum eâ divina idiomata, cum eorundem etiam communio nunquam possit dissolvi. Quamobrem Apostolus non scripsit, κατοίκησεν, *inhabitavit*, sed κατοικεῖ, *inhabitat*, tempore videlicet præsentis, ut indicet non actum unionis ac communicationis transeuntem, sed statum unionis communionisvè, qui adhuc

B

duret,

dūret, perpetuoque sit duraturus. Et aliās apud Græcos καπικεῖν & παροικεῖν differunt, ita, ut illud habitationē permanentem, hoc autem cōmorationem, quæ sit ad tempus, denotent: quemadmodum & apud Latinos *habitare* & *commorari* differunt. Nam, Cicero, Pater ille Latinitatis, *Natura*, inquit, *domiciliū nobis nō habitandi, sed commorandi dedit.* Ideò etiam Petrus vitam nostram παροικίαν, nō κατοικίαν vocat eleganter, I. epist. cap. I. 17. Fateor tamen, hanc differentiam non esse perpetuam. Quicquid tamen de ea sit, certum est, habitationem personalem, eamque perpetuam hīc esse intelligendam: quam supra, & alibi sæpè unionem ac communionem appellavimus. Quā de etiam hæcce parallela intelligenda sunt verba: *Quoniam in eo placuit PATRI omnem plenitudinem inhabitare*, Coloss. I. 19. Dixi verba parallela, cū præsentibus, ad omnes fermè apices respondeant, si unam excipias vocem, τῆς ἱερότης, quæ in loco posteriori est omīssa. Syrus interpres utrobique verbum, ܡܘܢܐ adhibuit, quod idem valet ac verbum Arabicum, ܡܘܢܐ, hoc est, denotat, *habitare, colere, incolere.* Germanicè dicimus, *wohnen.* Sive autem textum primigenium, hoc est, Græcum, aut versiones, quæ secundum eum sunt examinandæ, penitiùs introspiciamus, experimur, metaphoricè hōc *inhabitandi* vocabulō usum fuisse Apostolum, ut ostenderet, deitatem in Christo homine, non separabiliter, sed tanquam in fixā & propriā sede residere. Quod si ita sese habeat, cavendum est, ne hanc metaphoram extra Apostoli propositum urgeamus. In illis namque, quæ metaphoricè dicuntur, non oportet accipere similitudinem secundum omnia.

§. 7. Ejuscemodi igitur inhabitatio in præsentia intelligitur, quam Joannes verbō, ἐσκήνωσεν, voluit innuere, cap. I. 14. in Evangelio. Si tamen *Patres* ea in re sequi fas sit & licitum. Nolo nunc actum agere. Tantū dico, *Ignatium*, auditorem illum Joannis Evangelistæ sedulum, præsentem locum sine dubio respexisse, cū scripsit, Mariam genuisse corpus habens Deum ἐνοικόν, hoc est, inhabitatorem, quasi domesticum in proprio assumpto corpore personaliter inhabitantem. Vide epistolam ipsius, quæ ad Tralianos est exarata, & numerō tertia, quemadmodum *Eusebius* enumerat.

§. 8. Nec

§. 8. Nec aliam, quàm personalem inhabitationem, hoc est, unionem communionemve eandem docemur, si vocabulum veratissimum, *σωματικῶς*, piè meditemur. Illud equidem hòc tantùm locò occurrit, adeoque non unò modò interpretatur. Sunt enim, qui illud umbræ opponunt, & sentiunt, Pauli mentem esse & sententiam, Deum in Christo non umbraliter inhabitare, quomodo in templo manufacto Hierosolymitano apud arcam quondam habitabat, id est, præfigurantibus signis, sed corporaliter, hoc est, tanquam in re ipsa, per illud templum significata. Quem sensum nonnulli probabilem reddunt ex eo, quod infra dicitur: *Quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi*, vers. 17. Item quòd Christus corpus suum appellet *templum*, Johan. II. 19. Ita *Augustinus*, cujus hæc sunt verba: *De ipso verò capite nostro Apostolus ait: Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Non ideò corporaliter, quia corporeus est Deus, sed aut verbo translato usus est, tanquam in templo manufacto non corporaliter, sed umbraliter habitaverit, id est, præfigurantibus signis: nam illas omnes observationes, umbras futurorum vocat, etiam ipso translato vocabulo: summus enim Deus, sicut scriptum est, non in manufactis templis habitat.* Hæc *Augustinus* circa finem epistolæ LVII, quâ Dardano respondet, ad duas quæstiones, ostendens, quomodo Deus dicatur alicubi esse, aut non esse, & quomodo Christus non sit ubique, & rursus sit ubique.

§. 9. Idem *Augustinus*, epistolâ laudatâ, sic scribit: *Aut certe corporaliter dictum est, quia & in Christi corpore, quod assumpsit ex virgine, tanquam in templo habitat Deus.* Quò sensu vocabulum, *σωματικῶς*, ad particulas limitativas refertur, quæ in propositionibus majestaticis specificant naturam, secundùm quam Christus divina *ἀρχήματα* accepit, eamque, ut subjectum, connotant. Cum *Augustino* ex Patribus Græcis *Athanasius*, & inter Latinos, *Hieronymus* conspirant. Ille equidem oratione IV. contra *Arianos*; hic verò in commentario dicti apostolici, quod sub manibus versatur. Verba ipsa prætereo, cùm, quæ *Patres* reliqui docuerunt, *Joannes Damascenus* in compendium redegerit. Sic autem ille, ea de voce, scribit: *σωματικῶς, τὸ πρῶτον, ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ, corporaliter, hoc est, in carne ejus*, lib. III. orthodoxæ fidei cap. VI.

§. 10. Tandem à nonnullis vetustioribus inhabitatio illa corporalis opponitur inhabitationi, quæ est per gratiam sive operationem; quomodo in omnibus justis Deus habitat, sed in iis maximè, per quos etiam mira operatur, sicut habitavit in sanctis Prophetis & Apostolis. Per *σωματικῶς* itaque intelligere debemus *personaliter*, id est, non per efficaciam solùm aut assitentiam, sed unionem hypostaticam: ita ut λόγος inhabitans vel assumens, & natura inhabitata sive assumpta, fiat una persona, sive unum ὑφιστάμενον. Unde *Isidorus Pelusiota* ἑσιωδῶς vel ὑποστατικῶς, hoc est, *essentialiter* seu *personaliter* interpretatur, lib. IV. epist. CLXVI. Quod etiam quibusdam videtur *Augustinus* explicuisse hisce verbis: *Deus in æternam personam Divinitatis temporalem accepit substantiam carnis.* Quid est, inquiunt, *in personam accepit*, nisi *personaliter* sibi univit, ita ut quod assumitur, una esset cum assumente persona? Hòc itaque in locò, quemadmodum cum *Augustino* sibi persuadet *Isidorus Pelusiota*, corporaliter habitare, nihil aliud est, quàm *personaliter* sibi copulare.

§. 11. Huic interpretationi affinis est illa, cujus vestigia apud *Theophylactum* & *Oecumenium* deprehendimus. Prioris verba, ex versione *Philippi Montani*, Londini è typographeo regio ante novem annos edita, sunt ista: *Ne autem, cum audis, habitavit, existimes, quod ageretur & impelleretur, sicut Propheta (commorabatur enim in illis Deus, juxta illud: inhabitabo in ipsis, & inambulabo) adjecit, corporaliter: hoc est, non est operatio quadam, verùm substantia, & veluti (ὡς σωματικῶς) incorporatus, & una hypostasis existens cum assumpto. Vel hunc ad modum juxta divi *Cyrilli* sententiam; perinde ac in corpore immoratur anima: immoratur autem ipsa corpori essentialiter & indivisibiliter, ac citra mixturam.* Posterior autem sic commentatur: *Σωματικῶς, τὸ πρῶτον, ἑσιωδῶς ἢ χειρικῶς, corporaliter, hoc est, secundum substantiam & non solo habitu aut figura. Et iterum: σωματικῶς, τὸ πρῶτον, ἑσιωδῶς, ἢ χειρικῶς, ὡς ἐν σώματι ψυχῆ, corporaliter, id est, substantialiter, non solo habitu aut figura, sicut anima in corpore.* Usus autem fui exemplari, quod, interprete *Joanne Hentenio*, Lutetiæ Parisiorum, ante decennium, & quod excurrit, vidit lucem.

§. 12. Ver-

§. 12. Verba Cyrilli, cujus *Theophylactus* fecit mentionem, sonant hunc in modum: *In ipso, inquit divinus Paulus, inhabitare omnem plenitudinem deitatis, non per participationem, sed per habitudinem: hoc est, non concessione gratiæ, sed corporaliter, hoc est, substantialiter*, lib. II. ad pientissimas Reginas, de recta in Dominum nostrum Jesum Christum fide. Quæ eò collimant, quòd deitas in assumpto corpore, non energia tantùm, vel secundum participationem aut effectum, sed ipsâ substantiâ habitet, vel etiam ἁσιωδῶς, sicut cum Patribus *Ephesini* Canones loquuntur. Adi, si erit volupe, *Arnobium*, lib. V. adversus gentes. Cùmque Antiqui, quemadmodum jam dedi probatum, illud, σωματικῶς, interpretati fuerint, ἁσιωδῶς: inde procul dubio factum est, ut *Cyrillus* & doctores alii ecclesiastici unionem duarum in Jesu Christo naturarum vocarent ἁσιωδῆ καὶ κατὰ φύσιν, hoc est, *essentialem & naturalem*. Quâ tamen appellatione ipsas naturas unitas notârunt, quòd nimirum ipsæ substantiæ seu naturæ verè copulentur, non tantùm secundum effectum participationis, phantasiâ apparentiamque fallacem: quemadmodum vel solus *Joannes Damascenus* nos docet. *Substantialem enim (ἁσιωδῆ) dicimus unionem, scribit, hoc est, veram, non secundum phantasiâ, apparentiamq; fallacem. Substantialem autem, non quod ex duabus naturis una perficiatur natura, sed quod unitæ sint ad invicem secundum veritatem, in unam compositam filii Dei hypostasim*, libro III. orthodoxæ fidei cap. III.

§. 13. Uttramvis autem amplectaris interpretationem, videbis, nullam esse, quæ cum fidei analogia non possit conciliari. Si tamen una esset eligenda, eam eligerem, quam tertiò locò ex *Augustino* & *Isidoro Pelusiota* recensui & auctores *Concordiæ* non improbant. *In Christo, confitentur, tota divinitatis plenitudo inhabitat corporaliter, ita quidem, ut Deus & homo una sint persona*. Neq; debet videri aliena hæc interpretatio, cùm vocabulum, σωματικῶς, exponimus, ὑποστατικῶς, hoc est, *personaliter*. Profectò apud Græcos σῶμα significare *personam*, nemo est, qui dubitat. Quod si autem quis fuerit, adeat *Genes. XXXIV. 29*. Ibi namque quod nunc vocamus *personas*, Græci interpretes τὰ σῶματα appellârunt. Sic etiam *Tob. X. 10*. mancipia τὰ σῶματα dicuntur. Quapropter *Rabbini* quoque eòdem loquendi genere delectantur. Scilicet

pag 405.

et ^{הוא} appellant corpus, ut patet vel ex trito illó: ^{הוא בלא חכמה} כבית בלא יסוד, hoc est, corpus absq; sapientia est ut domus absq; fundamento. Quod tamen nomen ad personas etiam adcommodant. Sic Joannes Buxtorffius, in Lexico Chaldaico Talmudico & Rabbinico, annotavit, Rabbinos Grammaticos dicere, ^{הששה הגופים} tres personas, puta tres personas Deitatis, ut eas Theologi appellant. Nec aliter Patres. Verba namque Epiphani, quæ alibi quoque produxi, sunt ista: *Et consuetudo solet servos corpora vocare. Dominus, inquit, centum corporum, imò etiam animas habentium. Quandoquidem verò dominium hominum, corporibus dominatur, & non animis, propterea servos merito corpora vocaverunt cum anima, ut corporum usum ostenderent, in libro aut sermone, qui Ancoratus appellatur. Taceo alios. Thucydides, ut ad hos quoque veniam, dicit, pauperes multò promptiores esse σώμασιν ἢ χρήματι πολεμεῖν, id est, in propriis (ut ajunt) personis militare, quàm pecuniam ad bellum conferre. Similiter Demosthenes σώμάτων καὶ χρημάτων πλῆθος, id est, hominum, sive, personarum, atq; nummorum copiam Atheniensibus adesse effatus est, cum voluit eos ad bellum animare. Unde & vulgatum epigramma:*

Σώματα πολλά τέφρα, καὶ σώματα πολλὰ ἀναγείρειν, &c.
Accedit ipsa textus coherencia, quæ interpretationem istam stabilit. Habitaculum, seu, subjectum, in quo inhabitat tota plenitudo deitatis, vocabulò, ἐν αὐτῷ, innuitur. Cui deinde cum habitator tum modus habitandi subjunguntur. Modum habitandi expriment illa, κατοικῆ σώματιως, & habitatorem ea, quæ sequuntur: πᾶν τὸ πλῆρωμα τῆς θεότητος. Quin si indolem adverbii, σωματικῶς, perpendamus, id propriè denotat modum aut qualitatem, non subjectum. Apostolus igitur cum dicit, omnem plenitudinem deitatis habitare corporaliter in Christo, hoc vult, æternum Dei Filium univisse sibi naturam humanam, ita ut in persona Verbi, in quâ sola divina natura subsistebat, jam etiam humana subsistat, cui personalitatem tribuit divina, quam in se natura humana non habuit.

pag. 21. &
22.

§. 14. Syrus interpres κατὰ πόδα vertit, ^{πνευματικῶς} corporaliter. Quem reprehendit Constantinus L'Empereur ab Oppyck, in annotationibus ad Mosis Kimchi *ôdomejav* ad scientiam, cum exposi-

positione Doctoris Eliæ. Persuadet namque sibi, quod significan-
tius vertere potuerit, *Πῶς* *personaliter*: quandoquidem
ἰσχυ & personam notat, & quandoque ipsam eandem personam;
ita ut hâc ratione mens Apostoli commodissimè quiverit exprimi.
Vocem autem primigeniam, hoc est, Græcam quod concernit, E-
braismum ei adcommodat. Notum est, *ἰσχυ* passim (ut Ezech. II. 3.
ac alibi quoque) identitatem, ut ita loquar, notare. Unde Paulo
vocabulum *σωματικὸς*, *corporaliter*, nihil est aliud quam Ebr.
יָסוּחַ, quasi dicas, Deitas non solum gratiâ & donis ac effectis suis
in carne habitat; sed etiam identitate suæ essentiæ; sive ille ipse
verus Deus veri Dei Filius cum Christi carne hypostaticè unitus
est. Quæ explicatio licet sit sana, (nam secundum verba, non
animum scribentis, judicamus) & ad partem à nobis ipsis incul-
cetur, fundamentum tamen, quò ea superstruitur, ficulneum est,
non firmum. Non enim Ebraismus, qui uni loco est adcommo-
dus, alteri statim potest ac debet applicari. Quam tamen argu-
mentationem nemo admirabitur, qui vel primis labris scripta
Professorum Lugdunensium degustaverit. Scitent namque meris
Hellenismis, & argumentis ejuscemodi, quæ ex particulari, quod
dicunt, deducuntur. Evolve, si placuerit, Exercitationes ad No-
vum Testamentum *Danielis Heinstii*, & me verum dixisse deprehen-
des. Et quando *Constantinus L'Empereur* Syrum interpretem cor-
rigit, ipse correctione indiget. Quod nemo non mecum fatebitur,
si perpenderit, nomen, *ἰσχυ*, aliquando etiam *personam* denota-
re, ut II. Corinth. X. 10. ne alia nunc attingam loca.

§. 15. Memini, in Academia Jenensi celeberrima, cum in ea
studiis meis sacris insudarem, de vocabulo, *σωματικὸς*, eruditif-
simè fuisse disputatum inter Viros, qui mihi amore intimò sunt
conjunctissimi. Unus disputabat, *Damasceni* & aliorum senten-
tiam, quâ τὸ *σωματικὸς* exponitur, *ἐν σώματι*, vel, *ἐν σαρκί*, in sacris
apicibus esse fundatissimam. Alter autem isti sententiæ hocce
opponerebat argumentum: Nullum adverbium qualitatis denotat
subjectum. Vocabulum, *σωματικὸς*, est adverbium qualitatis. Er-
gò non denotat subjectum, sed modum aut qualitatem, hoc est,
non est explicandum, ex *Damasceno*, *ἐν σώματι*, vel, *ἐν σαρκί*, sed
vel *ἰσχυ*, ut *Cyrillus*, *Oecumenius*, & *Theophylactus* volunt, vel,
ἰσχυ

ἑνωτικῶς, secundum *Isidori Pelusiota* interpretationem. Propositionem majorem, dicebat, ex inductione omnium exemplorum posse probari, cum nullum adverbium qualitatis occurrat, quod vel in sacris aut profanis libris subjectum indicet. Minor autem propositio, ut probetur, non esse opus. Nemo namque negat, τὸ σωματικῶς, inter adverbia qualitatis esse referendum. Ubi tamen statim propositio major negabatur, cum absit, ut omnia adverbia qualitatis in foro Theologico tantum modum denotent. Nec quis peccabit, si addiderit, modum esse vel prædicamentalem aut transcendentalem. Prædicamentalis quidem solum modum seu qualitatem declarat; sed non transcendentalis, utpote qui cum nomen cum propositione, tum etiam qualitatem seu adverbium qualitatis denotet. Rem unò atque alterò exemplò declaro, *Animalis homo*, ait Apostolus I. Corinth. II. 14. *non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei, sunt enim ei stultitia; nec potest ea cognoscere, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται, quia spiritualiter dijudicantur*, hoc est, à nemine, nisi qui sit πνευματικὸς, ut appellatur commate decimo quinto, hoc est, Spiritu sancto, (πνεύματι ἁγίῳ, vers. 13.) fideque illustratus, intelliguntur ac perspiciuntur, ut ab aliis internosci & certò sciri possint. Ac proinde adverbium, πνευματικῶς, in præsentia denotat non modum vel qualitatem, sed subjectum dijudicans, hoc est, hominem πνευματικὸν, qui opponitur τῷ ψυχικῷ, homini animali seu irrogenito, hoc est, homini tantum naturalibus viribus utenti, quemadmodum eum *Apologia Augustanæ Confessionis* interpretatur, articulo XIX. Uade & *Syrus* interpret τὸ πνευματικῶς, reddidit: ברוח, per Spiritum. Taceo *Oecumenium* & *Theophylactum*. Uterque enim illud, πνευματικῶς explicat διὰ πίστεως καὶ πνεύματος; hoc est, per fidem & Spiritum, in commentariis ad locum præsentem. Et si locutio ecclesiastica esset adducenda, vocabula, θεϊκῶς καὶ ἀνθρωπίνως, hoc est, divinitus ac humanitus protraherem in lucem. Equipollent namque particulis distinctivis, κατὰ, ὅτι, ἐν, ἐξ, διὰ, secundum, quia, quatenus, in, ex, per, adeòque subjectum denotant. Quod post *Athanasium*, *Cyrillum* & *Damasceum* non diffitetur *Concordia*, quam Theologi orthodoxi meritò sequuntur. Elucescit igitur adverbia qualitatis etiam subjectum denotare, nec *Joannis Damasceni* sententiam

pag. 219.

pag. 344. &
847.

peni-

penitus esse rejiciendam. Quæ tamen ita disputo, ut ostendam, argumentum antea allatum non firmiter concludere, non autem improbem interpretationem, quâ, τὸ σωματικῶς, explicamus, ὑποστατικῶς, quemadmodum ante nos *Augustinus & Isidorus Pelusota* senserunt.

§. 16. Unum addo: nempe *Veteres* incarnationem, ex hocce Pauli loco, vocasse ἐνσώματησιν, imò dixisse, Deitatem σωματικῶν, id est, corporatam esse, sicut *Tertullianus* loquitur. Quid quod *Justinus* in colloquio cum Tryphone scripserit, Christum eucharistiam instituisse in commemorationem Ἐσωματοπήσουσαι, nostra causa, hoc est, quod corpus sibi fecerit seu assumerit, vel quod caro factus sit. Hujusmodi igitur vocabulis, ex instinctu Pauli, tradita & explicata fuit doctrina de mysterio incarnationis in Ecclesia Samaritana & Romana, *Justini* tempore, hoc est, sicut ipse annotat, circa annum Domini CL. Fuit enim *Justinus* patria Samaritanus & civis Romanæ Ecclesiæ. *Tertullianus* autem, ut modò memini, ex libro de carne Christi, vocat incarnationem Ἐcorporationem. Idem dicit Deum carne corporatum. Quomodo absque dubio *Tertullianus* Græcorum illa vocabula, de quibus jam dictum est, voluit latinis auribus reddere. *Tertullianum* secutus est *Lactantius*, in libris Divinarum Institutionum. Ibi namque sapiculè phrasibus utitur ejusmodi: Deus corporatus, carne corporatus: Verbum corporatum. Unde & *Chaldaeis* ܕܫܘܢܗܝܢ idem est, quod incorporari, incarnari: ܕܫܘܢܗܝܢ ܒܒܫܘܢ ܗܘܝܢܘܢ. Qui incorporatus, incarnatus est in utero virginis, Abarbinel Es. LII. v. 13. ܫܘܢܗܝܢ ܕܫܘܢܗܝܢ, Incarnatio Dei. Quæ posteriora ex Lexico Chaldaico *Johannis* pag. 487. *Buxtorffi* non diffiteor me excerptisse.

POSITIO TERTIA.

Alteta prædicati pars est habitator, quem Apostolus signatissimè dicit, παντὸς πλήρωμα τῆς θεότητος, hoc est, omnem plenitudinem deitatis.

C

§. I. Si

§. 1. Si ulla verba, profectio hæc digna sunt, quæ accuratius perpendamus. Nomen, πᾶν, est Neutrum, & sive hujus aut alterius sit generis, variè accipitur, nempe collectivè & distributivè, item de quantitate continua & discreta, imò quandoq; valet idem quod, omnis, totus, universus, singuli, quilibet, quicumque, nemo non, nullus non. Nec ita solùm accipitur, sed ponitur etiam pro majori parte, quæ vice totius est. Quæ fufius nunc declararem, si ad præsentem Andromachen aliquid facerent. Tantùm dico, voculam prædictam non universitatem generis, sed ejus rei, cui adjungitur, perfectionem aut plenitudinem haut rarò denotare, perinde ac si totum diceres. Sic dicitur Rom. XV. 13. *Deus autem spei impleat vos omni gaudio (πάσης χαρᾶς) & pace in credendo*, id est, pleno solidoque, aut cumulato gaudio ac pace. Non enim optat Apostolus omnis generis gaudia; sed spirituale, verum, idemque plenum, perfectum ac cumulatum, solidum, sincerum & integrum. Similia occurrunt exempla, I. Corinth. h. XIII. 2. II. cap. IV. 7. Tale & hoc est, quod in manibus versatur.

§. 2. Alterum nomen, nempe τὸ πλήρωμα, quod spectat, res ad varias id accommodatur. Ut autem de eo ordinatè quoq; agam, sciendum est, τὸ πλήρωμα dici & de Deo & de creaturis. De creaturis primùm: quibus nomen prædictum attribuitur, sive in genere aut in specie ex considerentur. In genere dicitur *Domini esse terra, καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς*, hoc est, & plenitudo ejus, I. Corinth. X. 26. In specie autem id nominis hominibus applicatur, ut Rom. XI. 12. 25. Huc etiam pertinet, quod fiat mentio Ἐπληρώματ^{ος}, *supplementi vestis*, Matth. IX. 16. Marc. II. 21. item πληρωμάτων, seu, *reliquiarum fragmentorum*, Marc. II. 20, & Ἐπληρώματ^{ος} temporis, i. e. perfecti completique temporis, quod Deus ordinaverat, Gal. IV. 4. Ephes. I. 10. Sic & plenitudo (τὸ πλήρωμα) legis est dilectio, id est, id quod lex desiderat, quò ei satisfacit, & quò ea impletur, Rom. XIII. 10. Nec de lege solùm, sed Evangelio quoque dicitur, utpote Rom. XV. 29. *Scio namque, quod ubi venero ad vos cum plenitudine (ἐν πληρώματι) benedictionis Evangelii Christi venturus sim.* Quod autem idem nomen ad Deum, seu Dei Filium quoque referatur, ex Johan. I. 16. Ephes. III. 19. IV. 13. elucescit. Eòdem modò, epistolâ eadem cap. I. 23. *Ecclesia dicitur plenitudo aut supplementum*

τινῶν

um Christi: qui tamen adeò complemento alio non indiget, ut ipse omnia impleat. Scilicet is est Christi in Ecclesiam amor, ut, cum omnia omnibus ad plenum præstet, tamen sese veluti mancum & membris mutilum caput existimet, nisi Ecclesiam habeat sibi instar corporis adjunctam. Nec dubium est ullum, quin Apostolus ad Christum etiam respexerit, locò præsentis, & aliò parallelo, nempe Coloss. I. 19. II. 9.

§. 3. Superest nomen, τῆς Θεότητος, quemadmodum in codicibus correctioribus & fide dignissimis legimus. Utque ὁ Θεός; ita ἡ Θεότης, quæ ab eo trahit originem, naturæ ipsi divinæ significandæ adhibetur, quamvis tamen ea vox hõcce tantum locò occurrat. Et quia attributa divina revera idem cum essentia sunt, nec ex natura rei sed ratione tantum distinguuntur, illa quidem voce, τῆς Θεότητος, unà connotantur, sed ita tamen, ut eâ essentialiter declaretur divina natura, non autem attributa, quæ propriè nomine, τῆς Θεότητος, seu, *divinitatis*, intelliguntur, Roman. I. 20. Syrus interpres utrumque nomen, nempe, τὴν Θεότητα, & τὴν Θεότητα, κλητῆκ, appellat.

§. 4. Nunc singula nomina sunt conjungenda, & videndum, quid per ea Apostolus velit intellectum. Quod antequam fiat, monendum est, τὸ πλῆρωμα vices adjectivi hîc implere, adeòque τὸ πλῆρωμα τῆς Θεότητος nihil aliud esse quàm deitatem plenam, quomodo alibi quoque inter duo substantiva, quorum unum regit alterum, prius loco adjectivi est. Exempla sunt plurima. Vide Genes. XVII. 5. Luc. I. 48. Tale quoque illud est, quod ad rem facit præsentem, Galat. IV. 4; *Postquam venit τὸ πλῆρωμα τῆς Θεότητος*, plenitudo seu completio temporis, hoc est, plenum ac completum tempus, quò scilicet spatia à Deo præfinita in Vet. Test. sunt perfecta, & prophetiæ impletæ, quales potissimum sunt, ut alias taceam, Genes. XLIX. 10. Hof. III. 4. Apostolus potuisset dicere τὴν Θεότητα, vel etiam, τὸν Θεόν, quomodo alibi effatur, Θεόν manifestatum esse in carne, I. Timoth. III. ult. Deus namque non potest aliter quàm integer & in sese perfectus concipi. Scripsit tamen non simpliciter τὴν Θεότητα, sed πᾶν τὸ πλῆρωμα τῆς Θεότητος, hoc est, deitatem absolutè plenam, & omnibus numeris perfectam, ut scilicet eis providissimè occurreret, qui divinitatem Dei Filii quò-

vis modò conarentur impugnare. Fuerunt namque, hodieq; sunt, qui somniant, Deum Filium non extitisse antequam ex Maria virgine natus fuit. Alii Deum Filium pro creatura excellentiori reliquis habuerunt, quæ ἐξ ὧν ὄντων ante reliquas creaturas condita sit, & per quam tanquam per instrumentum deus reliquas creaturas condiderit, quæ tamen non sit æterna. Nec defuerunt, qui delirant, Deum Filium cum Deo Patre essentiæ ejusdem quidem fuisse, sed disparem habuisse potentiã, quam Deus Pater habet. Hisce & id genus aliis hæreticis *Paulus* in præsentia ivit obviam, quorum primi, ἀντιόχει, secundi, ἐπερθεῖοι, & ultimi, ἀνέμοιοι vulgò appellantur.

§. 5. In humana natura igitur habitat Deus Filius, qui ab æterno cum Deo Patre & Deo Spiritu sancto ejusdem fuit essentiæ & potentiæ. Nec ille solùm quoad personam & naturam ipsam, sed attributa quoque divina, quæ *Græci* vocant τὰ ἴτι θεῶ λέγόμενα, ea quæ de Deo dicuntur, ut ex lib. I, *Joannis Damasceni* de fide orthodoxa cap. XII. patet. Sunt autem prædicata ejusmodi in triplici differentia, alia negativa, ut, *immortalis, incorporeus, & infinitus*; alia positiva, eaque absoluta, ut, *sapiens, justus bonus, omnipotens, & misericors*; alia denique, positiva & relativa, ut, *creator, gubernator, conservator, salvator, & cætera*. Hæc, & quæ sunt alia, attributa divina, cum persona & natura divina in natura humana inhabitant, si non immediatè, tamen mediatè, quemadmodum aliàs solemus distinguere.

POSITIO QUARTA.

Quamvis verò sensus Aphorismi illius Paulini clarus sit ac perspicuus, ex eo tamen nonnulli veterum hæreticorum errores suos voluerunt defendere, inter quos nunc recenseo *Paulum Samosatenum, & Nestorium*.

§. 1. Sa.

§. 1. *Samosatenianos*, qui à *Paulo Samosateno* sic fuerunt appellati, Trinitatem personarum oppugnasse, nemo est, qui vocat in dubium. Cui tamen errori stabiliendo aphorismum *Pauli* allegarunt presentem. Putarunt namque se posse nos ad hoc incommodum adigere, ut si Trinitatem poneremus, cogeremur etiam admittere tres Divinitatis personas fuisse incarnatas, quia plenitudo Deitatis, id est, tota & perfecta essentia divina in Christo incarnato habitavit.

§. 2. Respondent Scholastici, totam naturam Divinam incarnatam fuisse, non quia sit incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest de perfectione naturæ divinæ incarnatæ. Nam cum Divina natura sive essentia sit spiritualis, partes ejusdem nec dari nec supponi possunt; sed ubicunque reperitur divina natura, ibi reperitur tota & perfecta. Tota igitur natura divina fuit incarnata, & in humana natura personaliter habitat, ut consideratur non absolute sive communiter, & est in Deo Patre simul, & Deo Filio, & Deo Spiritu sancto, sed relate sive determinate & κατ' ἰδίον ἑκάστου τῶν ἀποστόλων, nempe in solius Dei Filii persona. Unde & hodieque post *Athanasium*, *Cyrillum*, & *Damasceum* confitemur naturam divinam verbi esse incarnatam, & Deitatem totaliter nobis in una sui ipsius personarum communicasse, quemadmodum ex *Dionysio Areopagita* recitat *Joannes Damascenus*, cujus jam faciebam mentionem, lib. III. de orthodoxa fide, cap. VI.

§. 3. Ad *Nestorium* venio: qui, ut ex *Cyrillo*, & Actis Ephesinæ Synodi constat, & ego alibi quoque monui, docuit, in assumpto homine verbum inhabitasse non personaliter, sed tali modo, sicut in sanctis inhabitat, nisi quod in illum assumptum hominem dona numero plura & gradibus majora contulerit, ac per hominem illum, ut per organum, plura ac majora fuerit operatus.

§. 4. Quem errorem pestilentissimum *Nestorius* procul dubio ex eo hausit, quod unionem duarum in Christo naturarum verbo, κατ' ὅμοιον, inhabitat, Apostolus descripsit, Si namque tota plenitudo Deitatis habitat in Christo, habitat in eo spiritualiter, quomodo habitat Deus in templo, Matth. XXI. 21. Spiritus sanctus in hominibus, Jacob. IV. 5. & Christus in cordibus eorum, Ephes. III. 17.

§. 5. Nolo hic repetere verbi, κατοικεῖ, cūm nativam ac propriam significationem, tūm constructionem. Non enim hæc tantūm, sed illa etiam meritō jure Nestorio possunt opponi. Nempē Apostolus scripsit non κατοίκησεν, *inhabitavit*, sed, κατοικεῖ, *inhabitat*, tempore videlicet præsentis. Tempus namque præsens, si pro præterito ponatur, indicat actum rei, de qua loquitur, continuum ac permanentem. Atque sic habitatio seu unio illa divinitatis cum carne permanens est & perpetua; non temporaria, qualis est, quæ inter Deum & sanctos intercedit. Nec latet, κατοικεῖν & περιουεῖν apud Græcos ita differe, ut illud inhabitationem permanentem, hoc autem commorationem, quæ ad tempus tantūm sit, denotent: quale discrimen inter *habitare* & *commorari* Latini quoq; ponunt. Hæc, inquam, nunc non repeto: inculco saltem ex Oecumenio & Theophylacto, non tantūm in præsentia esse perpendendum verbum, κατοικεῖ, *inhabitat*, sed addendum quoque adverbium, σωματικῶς, id est, *personaliter*: quod ideō Apostolus adjecit, ut inueneret, habitationem seu unionem illam esse personalem, ac existere μίαν ὑπόστασιν μετὰ τῆ προσλήμματος, id est, *unam hypostasin cum assumpto*, ut nervosè Theophylactus loquitur.

§. 6. Nestorius igitur de unione duarum in Jesu Christo naturarum personali aliter docuit, quā par erat, & fides orthodoxa requirit. Quam etiam sine dubio confessus est Theologus pietissimus, Dn. D. Johannes Brentius: & qui ei aliam, id est, Nestorianam, cum Roberto Bellarmino, affingit mentem, apertè crimen falsi committit. Verba autem Cardinalis injuriosa sunt ista: Brentius & Smidelinus supra citati volunt, uniri hypostaticè divinam & humanam naturam in Christo nihil esse aliud, quā communicari attributa seu proprietates omnes divinitatis humanitati Christi: communicari autem dicunt non per se, sed per accidens: explicat enim Concordia nuper edita in repetitione copiosa, articuli octavi, id fieri non per dona creata, & infusa, nec ita, ut illa divina attributa sunt proprietates naturales humanitatis, sed quia Divinitas inhabitat tanquam in suo proprio corpore in Christi humanitate, & in ea lucet omni sua majestate, potentia, sapientia, justitia &c. & in illa & per illam omnia operatur. Itaq; talem volunt esse unionem, qualis est inter agentem principalem, & instrumentum. Unde etiam tam Brentius, quā Smideli-

nus

nus solum per energiam differre volunt Christum ab aliis hominibus, quia Deus per Christum omnia, per alios quedam operatur. Hac sententia falsissima est, & aperte Nestoriana, vel peior quam Nestoriana, lib. III. de Christo, cap. IIX. Sed alium esse sensum Concordia, & eorum, qui illam amplectuntur, facile potest demonstrari. Non enim Concordia, nec ullus, qui ei adstipulatur, formam unionis personalis ponit in attributorum divinorum communicatione; Sed hanc tantum ex illa deducit, hoc est, docet, per & propter unionem personalem factam quoque esse divinorum idiomatum communicationem, id quod tam claris verbis Concordia proponit, ut clariora vix queant inveniri. Ex hoc fundamento, dicitur articulo IIX. *cujus jam facta est mentio, & quod unio personalis docet, quomodo* pag. 768. & *videlicet divina & humana natura in persona Christi sint unite: ut non* 769. *modo nomina communia, sed realiter etiam & re ipsa inter se, sine omni confusione & exaequatione essentiarum communicent, promanant etiam doctrina illa de communicatione idiomatum duarum in Christo naturarum.* Hæc, & id genus alia, verba orthodoxa passim invenies, si Concordiam, ejusque repetitionem & declarationem evolveris.

POSITIO QUINTA.

Nec vetustiores solum hæretici, sed recentiores quoque in præsentem Pauli aphorismum impingunt, & inter hos Pontificii, eorumque promachus præprimis, *Robertus Bellarminus.*

§. 1. Duo autem sunt præcipua, quibus Cardinalis dictum nostrum apostolicum impugnat. Unum concernit habitorem, & modum habitandi, alterum.

§. 2. De habitatore docet, personam eum fuisse Filii Dei, non naturam divinam. Verba sunt ista: *His igitur ita explicatis, demonstrandum est, rem ita se habere, hoc est, unionem hypostaticam consistere in communicatione subsistentia verbi, non in communicatione attributorum Deitatis,* lib. III. de Christo cap. IIX. Paulò post:

Quo

Quo loco (explicat ibi actum quintum Concilii Chalcedonensis)
notabis , non misceri proprietates naturarum , & proinde non commu-
nicari uni naturæ dotes alterius , sed subsistentiam tantum communicari.
Et iterum : Solus Filius Dei est incarnatus : ergo unio facta est per com-
municationem ejus , quod est proprium Filii , non ejus , quod est commu-
ne aliis personis ; sed sola subsistentia Filii est propria Filio , attributa
autem omnia essentialia communia sunt omnibus tribus personis , ergo
unio hypostatica facta est per communicationem solius subsistentia. Do-
cet ergo Cardinalis , ne alios jam nominem , subsistentiam Filii
tantum fuisse cum homine assumpto unitam , atque sic communi-
cationem *ἡνωσεως* exclusivè accipit , ut opponatur ea communi-
cationi naturarum ac idiomatum.

§. 3. Ratio autem , ob quam Pontificii sic statuunt , hæc vi-
detur esse. Nimirum cum essentia seu natura divina sit commu-
nis toti Trinitati , hoc est , omnibus tribus personis Deitatis simul
& communiter , & verò non tota Trinitas sit incarnata , nec Pater
vel Spiritus sanctus , sed solus Filius humanam naturam in personæ
unitatem assumerit , ideò non ipsam naturam divinam *ἔλαβε* , sed
solam Filii hypostasim unitam esse assumptæ humanæ naturæ.

§. 4. Et ansam sic argumentandi ipsis duo , quemadmodum
loca præmemorata demonstrant , præbuerunt. Unum appello
errorem , quem habent de communicatione idiomatum reali : quo
de alibi instituemus sermonem. Ut enim eam , quam dixi , com-
municationem idiomatum realem everterent , errorem prædictum
ertârunt. Alterum est *Toletani* Concilii decretum , perperam in-
tellectum. Nempè illud fuit : *Solum verbum caro factum est. Cum*
tota Trinitas operata sit formationem suscepti hominis , quoniam inse-
parabilia sunt opera Trinitatis , solus tamen Filius accepit hominem in
singularitatem personæ , non in unitatem divine naturæ , hoc est , quod
proprium Filii , non quod commune est Trinitati : quemadmodum
hæc Longobardus descripsit , ac unà verè est interpretatus , nempè
hunc in modum : Quod divina natura univerit sibi humanam na-
turam , non in tribus communiter personis , sed propriè in sola
hypostasi (addo , & natura) Filii , ut si tres puellæ uni ex ipsis tunicam
induant : quâ similitudine Scholastici utuntur.

§. 5. Ac

§. 5. Ac proinde *Concilium Toletanum* minimè decrevit, personam tantùm divinam, non autem naturam, sibi univisse naturam humanam; nec aliud nos docet ratio afferri solita. Etenim natura divina consideratur vel absolutè, ut est in se & pluribus communicabilis, vel relativè & determinatè, seu, quatenus est in una aliqua Trinitatis hypostasi. Licet igitur natura divina humanæ fuerit unita, non Pater tamen, nec Spiritus sanctus est incarnatus, cùm unio hæc hypostatica ei competat, quatenus consideratur non absolutè, sed determinatè, & in certo *τρόπω ὑπόστασεως*, nempe in Dei Filii personâ.

§. 6. Quando autem disputant, non divinam naturam Filii Dei, sed hypostasim tantùm ejus unitam esse humanæ naturæ, ea sejungunt, quæ sunt conjunctissima, quasi scilicet hypostasis Filii sit absq; Deitate seu natura divina, vel quasi extra & præter deitatem subsistat. Nam natura divina, ut *Scholastici* verè loqvuntur, est in personâ & prædicatur de personâ, ac persona in divina natura subsistit.

§. 7. Quid? quod hæc Pontificiorum disputatio adversâ fronte cum præsentis *Pauli* testimonio pugnet. Si namque in Christo habitet *πάν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος*, id est, ut supra explicuimus, deitas omnimoda, plena ac perfecta, imò quicquid in ipsa Deitas est, & habet, non solùm persona divina, sed essentia quoq; ipsa & natura cum humana natura personaliter fuit unita. Qua de re audiatur *Guilielmus Estius*, Professor Duacenus Pontificius, qui in locum præsentem commentatur: *Est igitur fundamentum, seu ratio rationis hæc*, quia in Christo corporaliter inhabitat omnis plenitudo divinitatis, *Græcè θεότητος*, *deitatis, id est, plena, tota ac perfecta deitas*. Plena autem, tota, ac perfecta deitas non est, si naturam excipias divinam.

§. 8. Hactenus unus *Bellarmini* error: alter concernit habitandi modum, quem negat esse naturarum ac idiomatum communicationem, vel, ut distinctiùs loquar, communionem. Sic enim respondet ad argumentum, quod, pro adserenda naturarum ac idiomatum divinorum communiõne, ex Coloss. II, 2. 9. adducitur: *Respondeo, aliud esse communicari humanitati divinitatis plenitudinem, & thesauros sapientiæ, quod Paulus non dixit: aliud inhabita-*

D

bita-

bitare divinitatem, & latere thesauros scientiæ in Christi humanitate, quod Paulus dixit. Nam illud primum significaret, Christi humanitatem esse Deum: quod non significat hoc secundum: Sicut non quia aliquis in domo habitat, ideo dicitur domus esse homo, aut habere formaliter attributa hominis. Solum ergo voluit Paulus dicere, in Christi humanitate habitare divinitatem corporaliter, id est, non umbraticè, ut in Angelis, & Prophetis, qui gerebant Dei personam, sed verè, ita ut ille homo verè fuerit Deus, & illa humanitas, Dei fuerit humanitas, lib. III. de Christo, cap. XVI.

§. 9. Respondeo, habitationem & communicationem, vel, ut antea appellavi, communionem verè unum ac idem denotare. Equidem vocabulum *habitandi* metaphoricum est, quod tamen communioni illi personali describendæ optimè potest inservire, præprimis cum non nudè & simpliciter ponatur, sed ei vocabulum signatissimum, *σωματικῶς*, adjungatur, quod indicat, qualis habitatio sit intelligenda, de qua Paulus habeat sermonem. Et procul dubio Spiritus sanctus in describendo illo mysterio usus est verbo, *habitandi*, ut confusionem Eutychianam retunderet, perinde ut verba, *fieri, communicare, &* id genus alia, eidem mysterio adcommodavit, ad refutandam divulsionem Nestorianam. Quod est primum. Deinde cum Cardinalis habitationem istam personalem ad habitationem localem vel domesticam refert, & dicit, si ex habitatione illa communicatio naturarum ac idiomatum esset elicienda, sequi etiam, domum, in qua aliquis dicitur habitare, esse hominem, aut habere formaliter attributa hominis, ea divellit, quæ erant conjungenda. Non enim dicitur simpliciter *habitare*, sed *habitare personaliter tota plenitudo deitatis* in assumpta natura humana. Et si ullibi, in præsentia profectò urgenda est Scholasticorum regula: *In illis, quæ metaphoricè dicuntur, non oportet accipere similitudinem secundum omnia.* Igitur habitat homo in domo; & deitas in natura humana; ille quidem accidentaliter & separabiliter, hæc autem indivulsè & personaliter, ita quidem, ut habitator & habitaculum unam constituent personam. Porro homo pontificius non respondet, verùm calumniatur, quando scribit (adde responsionem proximè antecedentem, quæ datur ad quintum argumentum) nos docere, Christi humanitatem habere in se formaliter divina attributa.

Calu-

Calumnia, inquam, hæc est, non responsio, cum doceamus, idiomata divina humanæ naturæ assumptæ non formaliter, sed personaliter, fuisse communicata. Quod non semel ac iterum inculcavimus. Tandem si ultima Cardinalis verba penitiùs intueamur, anguem invenimus in herba latentem. Dicit namque *hominem verè fuisse Deum, & humanitatem Dei fuisse humanitatem*, non quod detur inter Deum & hominem communicatio, sed quia humana natura *ejus suppositi fuit, quod illa attributa (divina) habet*, imò est ipsa natura divina. Quæ ad locum præsentem sufficiat annotasse.

POSITIO SEXTA.

Pontificiis subjungo Calvinianos, cum eisdem propugnent errores, & alia insuper adjiciant absurda: quemadmodum Georgius Sohnius, Daniel Chamier, Johannes Davenantius & Wolfgangus Musculus satis sunt testium.

§. 1. De errore priore res est certa: nam *Georgius Sohnius* sic scribit: *Rursus autem Filius solus factus est homo, non Pater aut Spiritus sanctus: atq; iterum persona Filii, non natura divina, si propriè loqui volumus. Nam persona est λόγος seu Filii propria; sed natura divina seu deitas ipsi communis atq; eadem est cum Patre atq; Spiritu sancto*, tom. II. operum, pag. CCIX. in fine. Quæ si aliò egerent teste, *Lambertum Daneum, & Danielelem Chamierum* producerem. Illius mentem vide in Examine libri de duabus in Christo naturis à Martino Kemnitio conscripti, cap. II; hujus autem Panstrat. t. II. lib. V. cap. XX.

§. 2. Ne agam actum, huic Calvinianorum errori, quem cum Pontificiis habent communem, nihil nunc oppono, quàm ipsius *Georgii Sohni* verba, quæ sunt ista: *Resp. Aliter in sanctis, & aliis creaturis, aliter in Christo est & habitat Deitas. Nam in sanctis ut causa effectiva; in Christo autem est σωματικῶς, hoc est, unione*



personali, ita ut deitas seu natura divina sit Christi deitas propter illam unionem, ac proinde de solo Christo dici potest, quod sit Deus, de aliis creaturis non item, tom. II. operum pag. CXCII. Et locò eòdem, iterum: Resp. Apostolum non dicere, quod plenitudo θεότητος, h. e. divinitatis & donorum divinatorum, sed quod plenitudo θεότητος, i. e. deitatis in Christo habitet: quâ voce ipsa essentia divina significatur. Hæc Sobnius, quæ prioribus prorsus sunt contraria, & quæ ei dictorum virtus, ut Hilariano loquendi modò utamur, sine dubio expressit.

§. 3. Venio ad habitandi modum, quem Theodorus Beza, Johannes Piscator, & Benedictus Aretius, in commentariis ad hunc locum, substantialem sive ipsarum naturarum hypostaticam unionem interpretantur. Verùm quia in præsentì aphorismo Paulino magis de communione quàm unione duarum Jesu Christi naturarum agitur, illamque Calviniani eunt inficiis, meritò non vulgaris istius erroris pontificii hîc quoque arguuntur. Equidem Calviniani Heidelbergenses, in ausführlichem Bericht cap. I. consensum hac in re nobiscum prætendunt unanimem: id quod etiam Pontificii effutiunt, ut testis est vel solus Gregorius de Valentia, tom. I. disp. I. quæst. II. Sed verba esse tantùm, non rem ipsam, certum est, & absque ullo labore potest demonstrari. Negant namque veram ac realem duarum in Jesu Christo naturarum communicationem, ita quidem, ut nonnulli ex eis eousque morositatis fuerint progressi, ut ne verbalem quidem communicationem concederent, sed talem potius unionem naturarum personalem somniarent, quæ esset absque communicatione. Taceo Bezam, Zanchium, Sadeelem, & alios. Tantum, si placuerit, incurre Admonitionem Neostadiensium, & mentior, si in ea prædictum errorem non inveneris.

§. 4. Et quando ita errant, Samosatensianorum vestigiis insunt. Samosatenus namque imaginatus est nudam duarum in Jesu Christo naturarum conjunctionem, ut diceret eas πάντες πᾶσι κοινωνήτες πρὸς ἑαυτὰς, nullam prorsus inter se habere communionem. Unde & ob istum errorem fuit damnatus, quemadmodum Theodorus & Suidas non malè admonent. Quod Calviniani identidem docent, quicquid etiam obloquantur. Naturas enim
in

in Jesu Christo duas expressè dicunt incommunicabiles, adeoque per istam veræ *κοινωνίας* seu communicationis negationem unionem personalem enervant, redduntque maximè dubiam.

§. 5. At contrarium fide orthodoxa credimus ac confitemur, nempè veram intimamque duarum in Jesu Christo communicationem ac permeationem, ut deitas sit in humanitate, & humanitas in deitate, altera in altera, neutra extra alteram, neque tamen altera sit altera. Idque eo magis, quò certius est, hanc ipsius *Spiritus sancti* esse mentem, quam ea de re aperuit in præsentis Aphorismo Paulino.

§. 6. Duo adhuc supersunt, qui digni sunt reprehensione. Unus est *Joannes Davenantius*, qui in expositione hujus loci tale nectit argumentum: *Si humana natura Christi sit hypostaticè unita divina, tum tota cum tota unita est; quia illa est impartibilis: sed hoc dato, ubicunq; est Divina, ibidem est & humana; & sic in Ubiquitariorum (sic Lutheranos appellat) castra transimus.* Respondet, & negat consequentiam, quia unio personalis fit servatis utriusque naturæ proprietatibus. Cùm itaque proprietas sit humanæ naturæ, certis limitibus circumscribi; eam non amittere hanc proprietatem virtute hujus unionis ad naturam infinitam. Hæc, & id genus alia, respondet *Davenantius*.

§. 7. Respondeo, quamvis natura humana in personam Dei Filii adsumta, dicatur omnipræsens, non tamen proprietates suas naturales amittit. Omnipræsens namque est non formaliter, sed personaliter, hoc est, per & propter unionem personalem. Tunc autem amitteret naturales suas proprietates, & pro eis idiomatica indueret divina, si attributa divina, & cum eis, omnipræsencia formaliter ei competere. Quod tamen nemo Lutheranorum docet, quos non sine calumnia Ubiquitarios Episcopus Sarisburiensis appellat. Quæ si observaverimus, ea quoque poterimus discutere, quæ de analogia naturarum disputat. *Nam quando, commentatur, nature non sunt analogæ, unione personali non fiunt analogæ; cùm unio conjungat solum non commutet naturas. Cùm igitur finita natura & infinita non sint analogæ, unione hac personali neq; divina circumscribetur, neque humana in infinitum extendetur.* Scilicet naturæ unitæ verè per unionem personalem factæ sunt ana-

D 3

logæ,

logæ, cum divina idiomata, quæ naturæ insunt formaliter & sub-
jectivè, naturæ humanæ quoque competant, sed personaliter, hoc
est, per unionem personalem, & exinde resultantem, communica-
tionem eandem. Porro quando facit mentionem *positionis localis*
humanitatis in omnibus locis, proculdubio vult nos Lutheranos do-
cere, humanam naturam localiter esse omnipræsentem, & in quo-
vis loco extensam expansamque. Quod tamen, nemo est, qui
doceat, sed potius confiteatur, carnem Jesu Christi in unitatem
personæ divinæ adsumtam, & ad dexteram Dei exaltatam, in o-
mnibus locis quidem esse præsentem, sed non localiter. Aliud
namque est esse in loco præsentem, & aliud, localiter esse præsen-
tem. Prius objectum, posterius modum præsentiae exprimit,
quem non localem, sed personalem & majestaticum dicimus, quò
Jesum Christum, secundum humanam naturam, verè præsens omnia
in cœlo & terra potentissimè gubernat. Tandem cum adversarius
etiam fatetur, humanam naturam inseparabiliter & *adiacetas*
unitam Divinæ, & Divinam nullibi ab humana esse separatam, lo-
quitur de præsentia intima, quæ carnis est ad verbum, non extima,
quæ creaturas universas respicit, & quam maximè attenditur, cum
de omnipræsentia carnis Christi sermo instituitur. Quamvis &
intimam illam præsentiam non orthodoxè proponat, quia eam
nudam sustentationem humanitatis à Deitate, eandemque subfi-
stentiæ dationem describit, exclusa omni naturarum & proprie-
tatum communicatione. Quod, ut alia taceam, exemplum solis
& Ipharæ solaris non obscure innuit, quò cum *Davenantio* alii et-
iam homines, qui ejusdem sunt furfuris, delectantur, & quia ejus
dissimilitudinem ipse agnoscit adversarius, nolo illi recensendo
ulterius immorari.

§. 8. Alterius vices expleat *Wolfgangus Musculus*, cujus
hæc, in commentario ad hunc locum, sunt verba: *Consimili sensu,*
adverbio hoc corporaliter utimur, cum dicimus, diabolus est corpora-
liter in hoc homine, significare volentes esse eum, de quo sic loqui-
mur, prorsus diabolicum, cum tamen diabolus specie sit incorporeus.
Sic Apostolus de Christo prædicat, habitare in eo plenitudinem deitatis
corporaliter, hoc est, esse eum non hominem tantum, sed ipsissimum
Deum omnem Deitatis plenitudinem in se habentem. Quæ fortè cum
eis

eis conveniunt, quibus *Arbanasius* unionem duarum in Christo naturarum conferebat cum unione serpentis & dæmonis, cujus fit mentio, Genes. II. 1. Sive autem *Musculus*, aut *Arbanasius* eâ similitudine fuerint usi, non tamen illam possumus approbare. præfertim cum sit certum, *Patres* aliquando humano Spiritu esse locutos, quem sequi nemo Christianus tenetur, ubi à divino deflectit. Deflectit verò hic Spiritus humanus à divino, quia hoc etiam modò nulla *concordia Christo cum Belial*, ut illud *Pauli* verissimum huc adcommodem, II. Corinth. VI. 15. Quin si absque blasphemia præmemorata similitudo ad Christum possit referri, declararet ea habitationem seu unionem spiritualem, non personalem, ut illam antea distinximus. Diabolus enim habitavit in serpente & dæmoniaco, ut serpens maneret propria persona, (liceat nobis eò vocabulò latè uti) & eadem dæmoniaco ac diabolus: quod tamen de unione duarum in Christo naturarum non potest dici. Eæ enim ita sunt unitæ, ut unam constituent personam, non duas. Nec ad tempus saltem, ut dæmon in serpente & dæmoniaco, divina natura in humana inhabitavit, sed perpetuò. Quod verò habitationem Christi in fidelibus spiritualem attinet, ea cum prædicta similitudine magis convenit. Etenim Christus in homine fidei ita inhabitat, ut uterque propriam habeat personam, nec perpetuò sibi sit conjunctus, cum homo fidelis per peccatum ex gratia Christi possit excidere, sæpeque excidat, quemadmodum dæmon & dæmoniaco propriæ manserunt personæ, cum inter se unirentur, & alter ab altero iterum fuerit separatus. Quicquid autem de allatâ similitudine & illius applicatione sit, profectò redolet ea blasphemiam, si non sensu, tamen verbis. Nobis verò laborandum est, ut cum matre Ecclesia discamus & rectè sentire, & formam sanorum verborum observare. *Impossibile* namque est, ut bene monet Magnus Theologus D. *Martinus Chemnitius* tom. III. Loc. comm. sub finem controversiæ de operibus renatorum, *puritatem doctrinae in Ecclesia posse retineri sine cura simpliciter & propriè loquendi.*

Post-

POSITIO SEPTIMA.

Si verò ullum alium, profectò huncce aphorismum apostolicum *Photiniani* impugnant, & inter eos quam maximè *Faustus Socinus*, *Valentinus Smalcus*, *Christophorus Ostorodus*, ac *Joannes Volkelius* tandem.

§. 1. Corruptunt namque aphorismi hujus apostolici cùm subjectum tùm prædicatum: id quod testantur *Faustus Socinus* in responsione ad libellum Jacobi Wujeki Jesuitæ polonicè editum, pag. CCCXIX, *Valentinus Smalcus*, in refutatione thesium D. Wolffgangi Franzii, pag. CXVII. & *Christophorus Ostorodus*, in disputatione wider Georgen Tradeln/ &c. pag. CXCIV. & CXCV. Quibus meritò subjungo *Johannem Volkelium*, cùm, quæ alibi sparsim disputant, in unum volumen collegerit, de vera religione, lib. III. cap. V. XXIX. & lib. V. cap. X.

§. 2. Subjectum in præsentì Aphorismo, ut dixi, est *Christus*. Cùm enim Apostolus dicit, *in eo habitare*, &c. nullum alium intelligit, quam Christum, cujus in versu antecedente fiebat mentio. Quod verò subjectum *Johannes Volkelius* cum suis sociis ita interpretatur, ut opinetur, eò innui non Christi personam, sed doctrinam ejus aut disciplinam. Verba sunt ista: *Qua de causa divinis monitis incitamus, ut omnibus aliis disciplinis posthabitis uni Christo adhareamus, in quo, id est, in cujus doctrina, omnis divinitatis plenitudo continetur; id quod nihil aliud est, quam Christi disciplina eam vim esse, ut non partem aliquam salutiferæ veritatis, non umbram, non nutu significatam, sed clarissimam plenissimamq; divine voluntatis rationem complectatur*, citatò loco, nempe lib. III. c. V.

§. 3. Quanta prærogativa simplici, usitatæ & genuinæ vocum acceptioni debeat, & quàm validas atque evidentes contra eam afferri oporteat rationes, è rerum sermonisque natura, alibi demonstratur. Quod cùm sit certum, meritò dicimus subjectum

ἐν αὐτῷ, hoc est, in ipso, esse intelligendum de Christi personā,
 non doctrina illius aut disciplina. Juxta eam enim, qualem dixi-
 mus, simplicem, usitatam, & genuinam acceptionem, nomen,
Christus, relativō, *αὐτῷ*, indigitatum, denotat Christi personam,
 quæ constat urraque natura, nempe divina & humana. Nihil er-
 gō demonstrare amplius tenemur, qui acceptioni simplici ac pro-
 priæ inhæremus: sed *Joannem Volkeliū*, qui recedit, evidenter
 ostendere oportet, acceptionem, quam propugnamus, locum ha-
 bere nullo modo posse, quia videlicet aut in oculos incurrat, aut
 aliunde manifestum sit, quod pugnet & diversum evincat. Quia
 verò id adversarius præstare non potest, meritò interpretationem
 nostram propriam sartam testamque servamus. Quid? quod
 nonnulli orthodoxi locum desiderent in scripturā, in quo *Christus*
 denotet tantum ipsius doctrinam ac disciplinam. Dicit quidem
 Johannes Volkelius, (de vera religion. lib. V. cap. X, pag. 438,) con-
 tra quem hoc loco disputamus, *Christum sæpe numero, non Christi*
personam aut naturam, sed per metonymicam dicendi figuram aliud
quippiam, vel ad Christum respiciens, vel ab illo profectum designare,
ex illis locis perspicuum esse, ubi Christus mysterium inter homines ap-
pellatur, (Coloss. I. 27.) & ubi Christum accepisse (Coloss. II. 6.) Chri-
stum didicisse (Ephes. IV. 20.) Christum induere debere, (Rom. XIII.
24.) aut eundem induisse (Galat. III. 24.) in Christo esse (2. Corinth.
V. 17.) in Christo denique, ambulare (Coloss. II. 6.) dicimur. At sin-
gula fermè loca à Volkelio adducta, probandum non probant, hoc
 est, de Christi persona, non doctrina ejus aut disciplina loquuntur:
 quemadmodum accurata eorum meditatio offendit. Et licet
 nonnulla loca dentur, ubi objectum pro eo, quod versatur circa
 illud, ponitur, id est, Jesus Christus pro doctrina de Jesu Christo,
 non tamen figurata illa significatio est perpetua, nec eis Scripturæ
 locis accommodanda, quibus persona Christi, non doctrina ejus
 apertè innuitur; qualis est locus, qui sub manibus versatur.

§. 4. Quod verò prædicatum concernit, id quoque non re-
 ctè explicant. Etenim πάν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, interpre-
 tantur non de deitate, aut natura divina, sed clarissima plenissimaque
 divina voluntatis ratione, quemadmodum *Joannes Volkelius* locō
 præmemoratō loquebatur. Quibus paria sunt, quæ idem ille

E

scri-



scribit, nempe hæc: *Ex divinitate quoque corporaliter in Christo habitante, coessentialitatem hanc concludi minimè posse, inde perspicitur, quod divinitatis nomine, nec Dei, nec Christi natura, sed divinæ voluntatis notitia Dei que colendi ratio intelligi potest, atque adeò debet,* lib. V. cap. X. Ut autem interpretationem istam quodammodò obfirmet, duo profert. Unum sunt epitheta, quæ τῆ θεότητι, seu divinitati adduntur, & opposita, alterum, de quibus versus antecedens §. facit sermonem. Epitheta voco πᾶν τὸ πλήρωμα, quæ satis indicent, τὴν θεότητα non denotare personam divinam, aut naturam, sed divinæ voluntatis rationem. Argumentum potest esse hujuscemodi: Quicquid totum ac plenum inhabitat, in quo inhabitat, illud, non opus est, ut epitheto plenitudinis & quidem omnis illustretur. At persona seu natura divina tota ac plena inhabitat, in quo inhabitat. Ergò necessum non est, ut nomine plenitudinis & quidem omnis illustretur. Opposita verò sunt philosophia & elementa mundi. Ubi tale argumentum: Cujus oppositum non denotat personam aut naturam, illud ipsum personam aut naturam, non denotat. At oppositum τῆς θεότητος, nempe philosophia & elementa mundi, non denotat personam aut naturam, quod patet & à nemine negatur. E. ἢ θεότης non personam aut naturam Christi hic denotat, sed aliud quid ad eum pertinens. Hæc est discursus Volkeliiani summa, si syllogisticè ea proponatur. Verba alias ipsa sunt hæc: *Quam quidem (divinæ voluntatis noticiam, Dei que colendi rationem) plenitudinis vocabulo amplificare, & corporaliter Christo, id est, ipsius doctrinæ inesse, ideò asserere voluit Paulus, ut divinæ veritatis cognitionem perfectam, solidam, nulla que ex parte adumbratam, ut in lege fiebat, Christi institutis contineri intelligeremus, id quod satis ostendit, divinitatis nomine, essentialitatem ipsius Dei altissimi intelligi nequaquam debere. Quid enim alioqui necesse fuisset plenitudinis istius divinitatis, & quidem omnis, meminisse? quasi verò suspicari quispiam potuisset, eam in illo, in quo habitet, non plenam, vel non usquequaque plenam esse. Et paulò post: Hæc autem in loco divinitatis plenitudinem, Christo corporaliter inherentem, non naturæ alicui, sed Philosophiæ, legalibusque institutis, utpote umbratilibus opponi, manifestissimum est. Unde efficitur, id ejus nomine*

mine intelligendum esse, quod paulò ante diximus. Haftenus Volkelius.

§. 5. Respondeo, me antea monuisse in Græco textu legi, non θεότης, sed θεότητα, id est, *deitatem*, quæ si etymologiam spectemus, vox est personæ, & naturam divinam denotat, non *divinae voluntatis* (ita loquitur Volkelius) *notitiam*, *deique colendirationem*, ut nobiscum universi, quod scio, ea de re, Patres consentiunt. Dicitur autem in præsentia *deitas* ista perfecta & undiquaque plenissima, non quod in se majus & minus recipiat, seu in alio, in quo habitet, sit non plena, & in altero undiquaque plenissima, sed ob inimicos Christi, qui delirabant, habitasse in eo tantum virtutes, & dona divina, non ipsam deitatem, seu naturam divinam. Quos, antequam irent in orbem, providissimus Dei Spiritus ut refutaret, dixit, in Christo Jesu habitare personaliter πάντῳ πλήρημα τῆς θεότητος, id est, perfectissimam, & undiquaque plenissimam deitatem, imò quicquid in ea est, & ad eam pertinet. Similiter ὁ θεός, à quo nomine ἡ θεότης deducitur, non majus & minus recipit, id est, in alio non est major, & in alio non est minor, & in alio non magis vivit, nec in altero minus, sed quicumque Deus est, Deus est, quem *essentiam spiritualem, simplicissimam, infinitam, immensa bonitatis, sapientiae & potentiae, justam ac veracem confitemur*. Ut tamen Spiritus sanctus adversus omnes χειρομάχων insultus, ostenderet, Christum esse ipsissimum illum Deum, non appellavit eum simpliciter τὸν θεόν, quod ad demonstrandam divinitatem suffecisset, sed dixit potius, quod sit μέγας ὁ θεός, *magnus Deus*, Tit. II. 13. θεός ζών, *Deus vivens*, I. Timoth. IV. 10. ὁ ἀληθινὸς θεός, *verus Deus*, I. Johan. V. 20. ὁ ὢν Ἰπὶ πάντων θεός ἐυλογητός, εἰς τὰς αἰῶνας, *qui est in omnibus Deus laudandus in secula*, Rom. IX. 5. Nec, quæ ad alterum objectionis membrum est responsio, in sacris literis est inusitatum, ut nomina personæ, & ea, quæ doctrinam aut disciplinam denotant, inter se opponantur. Quod de Christo quàm maximè est verum, utpote inter quem ratione personæ vel officii (quæ pari hic passu ambulant) & falsas doctrinas Christi personam officiumvé impugnantes non semel oppositio intercedit. Ratio est, quia non nisi per doctrinam cœlestem (quæ immediatè

& proximè falsis doctrinis opponitur) Christus cum omni eo, quod ipsum concernit, innotescit. Res erit clara, si uno atque altero exemplo illustretur. I. Cor. I. 18. seqq. de Judæorum & Gentilium χεισμασίγων vanissimis & blasphemis doctrinis agitur: atque illis, versibus 23. & 24. χειρὸς ἐσαυρωμένῃ, θεῶν δύνάμις καὶ θεοῦ σοφία opponitur. Coloss. II. 4. ᾧ ἀλογιζόντων ἐν πιθανολογίᾳ mentionem Apostolus facit, & huic ipsum Christum, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, v. 3. opponit. Par ratio v. 18. 19. quæ duo inter loca controversus noster interjacet. Addi etiam potest, Hebr. XIII. 8. 9. Rom. X. 3. 4. Ephes. IV. 14. 15. &c. Ὁ ἐν σαρκὶ ἀλλοτρίῃ παρὰ ἀλλήλους. Christo ipsi, ratione personæ æquè adversatur seu opponitur vitæ impietas, ac doctrinæ falsitas. Jam applicetur argumentum: *Cujus oppositum non denotat personam vel naturam, nec ipsum personam vel naturam denotat.* Et assumatur de dictis Rom. XIII. 12. 13, 14. Ephes. IV. 19. 20. 21. & aliis, quibus impietati opponitur Christi persona sanctissima. Et ecce conclusio erit talis: E. & in talibus dictis Christus ratione personæ non intelligitur. Quod cum absurdum sit, & scripturis divinis contrarium, sequitur falsum quoque esse prædictum Photinianorum argumentum.

§. 6. Sed & aliâ ratione homuncionibus istis occurri potest. Si nimirum ex ipso contextu Paulino penitus inspecto falsa, quæ nituntur, hypothesis subruatur, quæ est talis: Opponi à Paulo invicem Philosophiam cum elementis mundi vers. 8. & τὴν θεότητα v. 9, quam proinde non de essentia, sed doctrinâ divina accipiunt. Quod tamen est falsum, nec ego concedo. Opponuntur namque non termini simplices, sed integræ propositiones. Prior propositio est hæc v. 8; A philosophiæ seductione vana & traditione hominum secundum elementa mundi, & non secundum Christum, sedulo esse cavendum. Altera autem propositio continetur v. 9. & est ista: In ipso Christo inhabitare totam plenitudinem deitatis personaliter, & Colossenses in ipso esse completos, quemadmodum v. 10. dicitur. Ac proinde opponitur doctrina falsa de Christo, doctrinæ de eodem veræ. Falsa est, quæ à Philosophia Gentilium malè applicata, & commentis traditionum Judaicarum ortum duxit,

duxit, doctrinamque de Christi personâ & officio mirum quantum impugnavit vers. 8. Vera est, quæ ab ipso Apostolo innuitur v. 7. & ἀφοριστικῶς ponitur vers. 9. 10. nempe 1. ratione personæ Christi, v. 9. 2. ratione ejus officii, vers. 10. Dicitur namque ibi credentes in Christo esse πεπληρωμένους, hoc est, omni bono, salutem æternam spectante, ditatos donatosque (vide v. 11-14.) cui denuò descriptio à divina præminencia personæ adjungitur: Nam dicitur esse caput (princeps, dux, gubernator) omnis potestatis & eminentiæ. Hæc si ex verborum cohærentia observentur, concidit omnis Photinianorum discursus ex oppositione simplicium terminorum deductus, cum utraque pars de doctrina omninò loquatur; posterior verò doctrinam de ipsa Christi conditione in se comprehendat, uti nunc exposui.

§. 6. Pertinet quoque, ut vidimus, ad prædicatum aphorismi præsentis, adverbium, σωματικῶς, quod Joannes Volkelius interpretatur, re ipsa, cum inquit: *id quod per Christum factum esse, Paulus luculentissimè docet, cum his mundi rudimentis omnem divinitatis plenitudinem, in Christo sanctissimæ, ejus disciplina corporaliter, hoc est, re ipsa, non umbratili quadam ratione, ut in lege, habitantem opponit*, citatò locò, lib. III. cap. XXIX. Sed quò locò ea interpretatio sit habenda, suprâ monui, ac una fidelia duos dealbavi parietes.

POSITIO OCTAVA AC ULTIMA.

Apostolus igitur docet, & nos ex eo confitemur, duas in Christo naturas, divinam & humanam, communionemque earum personalem, non tamen divinis attributis exclusis, quæ cum natura divina habitant in natura humana, eique personaliter fuerunt communicata.

§. 1. Profectò illustris est hic locus, si quisquam alius, & paucissimis verbis complectens, quicquid de duabus Christi naturis, earundemque communione personali nobis sentiendum est. Quæ de re unum atque alterum aphorismum quoque nunc subjungam, quorum primus est iste: *Una est Christi persona, quæ duas complectitur naturas, divinam ac humanam.* Una est Christi persona, quia unus est *Christus*, ut eum Apostolus commate 8. appellat, quemadmodum quoque *unius Jesu Christi* sit mentio, Rom. V. 17. Quæ tamen una Christi persona duas in se habet naturas, divinam & humanam, quarum hæc in præsentia exprimitur pro nomine relativo, *in ipso*; illa autem verbis signatissimis, *omnis plenitudo deitatis*. Singula hæc, hoc est, unam personam, & duas in ea naturas, idem divinus *Paulus* quoque inculcat, cum ait: *Unus Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*, I. Timoth. II. 5.


§. 2. Secundum aphorismum propono hunc in modum: *Ut persona Dei Filii non est absq; natura divina, nec hæc sine illa, ita utraq; quoque, nempe persona & natura divina in humana inhabitat, & datur inter eas inseparabilis & inconfusa communio.* Etenim *in eo*, humana natura, inhabitat *omnis plenitudo deitatis*, quæ sine natura divina non est, nec potest esse. Unde hodieque cum *Athanasio* confitemur, carnem humanam fuisse assumptam *εις τὴν θεότητα*, *in ipsam deitatem*, quæ personam juxta ac naturam divinam involvit.

§. 3. Sequitur aphorismus tertius, qui est ejusmodi: *Non solum persona ac natura divina, sed cum ea quoque attributa divina in natura humana habitant, eique sunt communicata.* Nam *habitatio in eo*, natura humana, *omnis plenitudo deitatis*, & quicquid in ea est, ac ad illam pertinet, ita quidem, ut attributa divina non possint nec debeant excludi. Quæ divina ac infinita idiomata naturæ humanæ communicata etiam describuntur, Esa. XI. 2. Coloss. II. 3.

§. 4. Superest adhuc aphorismus quartus, isque ultimus: *Habitatio seu communicatio, quæ inter personam, naturam, idiomataque divina & naturam humanam intercedit, est personalis.* Quod identidem *Paulus* in præsentia fatetur. *Habitat, in eo, natura humana, omnis plenitudo deitatis personaliter.* Quod si autem

autem habitatio ista sit personalis, nec separationem nec confu-
sionem admittit, perinde ut unio duarum naturarum personalis,
indivisibilis est ac extra mixturam. Quæ fides est orthodoxa, &
à nobis hodieque propugnatur, qui

GRATIAS
TIBI,
CHRISTE,
AGIMUS,
IN QUO
HABITAT
PERFECTA DEITAS AC PLENA
PERSONALITER.



autem habitatio illa sit personalis, nec separationem nec contra-
tionem admittit, potiusque unum est, quam naturam personalem,
indivisibilem esse certam mixturam. Quae si desit orthodoxa, &
a nobis hodieque propagatur, dei

GRATIAS

TIBI

CHRISTE

AGIMUS,

IN QVO

HABITAT

PERFECTA DEITAS AC PLENA

PERSONALITAS.




Elencbús tractatiónu hoc volum: comprehensivum.

1. BECCERI analysi Psalmi secundi.
2. GESNERI contra primatum Romani Pontificis.
3. HUTTNERI Theoremata tria ex Jobann: 1. 29.
4. FÖRSTERI medulla capit: 53. Esai:
5. Ejusd: Disputationes V. in c. 53. Esai:
6. WINKELM: Disput: ex Jobann: III. 16.
7. Ejusd: Disput: ex Jerem: 23. 3. 4. 5. 5. 7. 8.
8. MAJORIS apobupis oraculi Apostolici 1. Jobann: 1. 7.
9. THUMMII ex h: verbis dicti Paulini Coloss: 2. 9.
10. FRORESENII Disput: de 7 Verbis Christi novissimis. Autor DANUBIENSIS.
11. SCHMIDT ex h: verbis dicti Evangelici Luc: XI. 28.
12. Ejusd: de peccator Confes: penitentiali ex Job: 24. 13.
13. BERGII de loco Prop: II. 22 - 31.
14. HÖFFNERI de primigenia hominis conditione, ex Gen: 1. 26. 27.
15. WILHELM: ZYSERII diabolus oraculi Job: 1. 29.
16. Ejusd: Explicatio Ps. 14. 1. 2. 3.
17. Ejusd: de Anti. Christo ex 2. Thessal: 2.
18. BULAI ex h: verbis dicti Hof: XIII. 9.
19. HÜLSMANNI meditatio ad dictum Rom: IV. 25.
20. LANGII protuevangeliu, Genes: 3. 15.
21. Ejusd: Jesus typicus in sacrificiis veteru ostensus.
22. MARTINI assertio theologic: de curia ad locu Jerem: XXXI. 31 - 34.
23. HENRICI mysteriu economia ex dicto ad Coloss: 2. 9.
24. CUNDISII exercitatio theol: ex Esai: 49. 22. 23.
25. Ziegna expositio Psalmi 2.
26. LANGGE septem verba Christi.
27. KUNZE Disput: ex 1. Tim: 3. 16.
28. Ejusd: de Confessione hominis ab infidelitate ad fidem.
29. GERHARDI Cyrillus.
30. OLEARI lumen gentium Luc: II. decantatum.
31. 32. Programma ex Gen: 49. 11. 12. Aliud ex Apocal: 1. 4.
33. ZILLI philologia in Esai: 1. 4.
34. BOSII evangelium anathemate desensu, Galat: 1. 6. 7. 8. 9.
35. ALBERTI magnificentia divina Joel: 2. 28. 29.
36. NIEMANNI de Christi devoti querela, Matth: 27. 46.
37. THILONIS Disput: ex 1. Corinths: 2. 14. 15.
38. MEYCKENII Exercit: theolog: ad Rom: II. 31. 32.

ung II 18

VD 17

Z



3)

OECONOMIÆ,

MOD

EX

Æ AD CO.

ES SCRIPTÆ

NDI COMMATE

ONO,

UBLICE DISPU-

NDUM

NRICI, SS. THEO

R ET PROFESSOR

ICUS,

N

LIPSIENSI,

NDENTE

GNERO, NEUSSA-

NICO:

XXVII. NOVEM-

RIS.



NGI COLERI,

C. XLV,

